



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Distinctio Sexta. De Sacramento Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

147. Possent hoc loco plura similia Dubia, Sacrificium Mis-
sæ concernentia, moveri. Verùm ea exactè, simulque breviter
resolvuntur in Rubricis Missalis, à quolibet Sacerdote benè le-
gendis, atque observandis: hinc ipsa impræsentiarum omit-
tuntur.

Alia Dubia
remissivè

DISTINCTIO VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

De institutione, natura, & necessitate Sacramenti

Pœnitentiæ.

1. Pœnitentia dupliciter sumitur, nempe ut est virtus, & ut
est Sacramentum. Pœnitentia ut Sacramentum, est unum,
& in ordine quartum ex septem novæ Legis Sacramen-
tis. Pœnitentia ut virtus non est Sacramentum, sed virtus qua-
dam: qualis defactò etiam requiritur ad ipsum Sacramentum
Pœnitentiæ ritè ac fructuose percipiendum, cum sit pars ipsius.
Et hanc communiter ad differentiam Pœnitentiæ Sacramenti,
solemus alio nomine vocare *Dolorem de peccatis, cum proposito non
peccandi de cætero*; qui postmodum dividitur in Contritionem, &
Attritionem.

Pœnitentia
sumitur ut
Sacramen-
tum, & ut
virtus.

2. CONCL. I. De Fide est, Pœnitentiam esse verum & pro-
priè dictum novæ Legis Sacramentum. Ita habetur tum ex per-
petuo sensu & traditione Ecclesiæ, tum ex definitione plurimum
Conciliorum, ac novissimè Concilij Tridentini Sess. 14. can. 1. sic
definientis: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse
verè & propriè Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata
labuntur, ipsi DEO reconciliandis, à Christo Domino institutum: anathe-
ma sit.*

De fide est,
Pœniten-
tiam esse
Sacramen-
tum.

3. CONCL. II. Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè
Christus Dominus instituit, cum à mortuis excitatus insufflavic
in Discipulos suos, Joan. 20. dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quo-
rum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta
sunt.* Ita communis. Nam optimè S. Concilium Tridenc. Sess.
14. cap. 1. ad citatum textum Evangelicum, sic loquitur: *Quo tam in-*

Est à Christo
institutum.

Hhhhh 2

signi

signi facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis Successoribus fuisse communicatam, uniuersorum Patrum consensus semper intellexit. Hæc Concilium.

Et quando præcipi-
tæ?

4. Dicitur, tunc præcipue Christus instituit, cum à mortuis &c. Quamvis enim iam in vita sua Christus Dominus D. Petro hanc potestatem remittendi peccata se se daturum repromiserit, dum eidem dixit, Matth. 16. *Tibi dabo Claves regni cælorum; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis: similiternque promissionem cæteris postmodum Apostolis fecerit, Matth. 18. Eam tamen potestatem Christus actualiter primum post suam gloriosam Resurrectionem Apostolis, antea sub ultima Cœna in Sacerdotes ordinatis, contulit citat. loc. Joan. 20. Unde & eo tempore Sacramentum Pœnitentiæ præcipue institutum dicitur.*

Sacramen-
tum Pœni-
tentiæ,
quid?

5. CONCL. III. Sacramentum Pœnitentiæ est absolutio hominis pœnitentis, facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione Divina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato. Ita Doctor Subtilis in 4. dist. 14. q. 4. cum suis.

Definitio e-
jus explica-
tur.

6. Dicitur, Absolutio hominis pœnitentis; id est, signum sensibile, sive Sacramentum novæ Legis consistens in absolutione hominis pœnitentis; eo modo, quo Baptismus dicitur esse ablutio hominis &c. Et additur, *facta certis verbis, cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente.* Tum quia Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos, ita ut nullo modo Diaconus, multò minùs alius inferior Clericus, illud ministrare possit. Tum quia Sacerdos illè, præter Characterem Sacerdotalem, etiam habere debet jurisdictionem in pœnitentem, vel ordinariam, vel saltem delegatam: alioquin enim absolutio data non valeret; cum sententià à non suo Judice lata, nulla sit. Cæteræ particulæ vel parent ex dictis in simili de alijs Sacramentis, vel amplius patebunt ex dicendis.

Est necessa-
rium omni-
bus postBap-
tismum
lapsis.

7. CONCL. IV. Sacramentum Pœnitentiæ est omnibus, post Baptismum in peccatum mortale lapsis, necessarium ad salutem in re, vel saltem in voto. Conclusio hæc est certa, & inter Catholicos indubitata; atque præter alia, patet ex Concilio Trident, *Sess. 14. cap. 2.* prout jam superius (a) declaratum fuit.

(a) Dist.
2. n. 65. &
66.

g. Ad-

8. Additur verò, omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis. Siquidem peccata ante receptum Baptismum commissa remittuntur virtute ipsius Sacramenti Baptismi, neque sunt materia apta Sacramenti Pœnitentiæ. Et hinc istud Pœnitentiæ Sacramentum rectè à SS. Patribus appellatur *secunda post naufragium Tabula*, naufragis præparata; prout habetur *can. Secunda, de pœnit. dist. 1.* juncto Concilio Trid. cit. *Sess. 14. can. 2. ibi: Si quis Sacramenta confundens, &c. dixerit, Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium Tabulam appellari; anathema sit.*

QUÆSTIO II.

De Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

9. **C**ONCL. I. Materia Sacramenti Pœnitentiæ est duplex, remota, & proxima. Remota sunt peccata post Baptismum commissa; & hæc rursus est duplex, videlicet necessaria, & sufficiens. *Materia remota & necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, est omne peccatum mortale post Baptismum commissum, & nondum ritè confessum. Materia sufficiens, et si non necessaria, est omne peccatum veniale post Baptismum commissum, vel etiam mortale aliàs ritè confessum. Ita communis Theologorum; idque patet inter alia ex Concilio Trident. Sess. 14. c. 5.*

10. Porro *Materia proxima* Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus Pœnitentiæ, videlicet Contritio, Confessio, & Satisfactio. Ex quibus Satisfactio in re exhibita, communiter conceditur esse solum pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ: uti patet in agonizante, qui si prius petiit Confessarium, aut aliud signum petitiæ Confessionis dedit, potest, ac debet absolvi absque alia adjuncta Satisfactione, utpote quam amplius præ mortis angustijs peragere nequit. Contritio verò, & Confessio, juxta Thomistas & Recentiores passim, sunt partes essentielles Sacramenti Pœnitentiæ; juxta Doctorem Subtilem verò 4. dist. 16. quest. 1. §. de Pœnitentiæ, & Scotistas, essentiam strictè, ac præcisè pro ipsa quidditate rei accipientes solum requiruntur (necessariò tamen, seu simpliciter) ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad hoc, ut dignè recipiatur, prout amplius ibidem explicat Scotus.

11. Et cum hac Scotica doctrina concordat Concilium Trid. Sess. 14. cap. 3. sic dicens: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentiæ actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio: qui*

llhhhh 3

qua-

Concilij
Trid. con-
cordant.

quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Poenitentiae partes dicuntur. Notaly, qui quatenus ad integritatem Sacramenti requiruntur, hac ratione Poenitentiae partes dicuntur: & consequenter, ex mente Concilij Tridentini, actus Poenitentis non sunt partes essentiales hujus Sacramenti, ut volunt alij; sed solum eatenus dicuntur partes ipsius, quatenus ad ejus integritatem, atque ut dignè & perfectè recipiatur, requiruntur: quæ est ipsissima sententia Scoti, & communis Scoticistarum. Sed dimissa Theologis hujusmodi difficultate speculativâ, sic ulcerius

Peccatum
originale, &
actualia ante
Baptismum,
non sunt
materia Sa-
cramenti
Poenitentiae.

12. CONCL. II. Peccatum originale, nec non peccata actualia ante Baptismum commissa, non sunt materia apta Sacramenti Poenitentiae. Ita Scotus 4. dist. 4. q. 5. cum communi. Nam peccatum originale, sicut & peccata actualia ante Baptismum commissa, tolluntur virtute Sacramenti Baptismi: & Sacramentum Poenitentiae, tanquam secunda post naufragium Tabula, est institutum à Christo pro remissione sequentium peccatorum. Unde si Judæus, vel Gentilis recens baptizatus, sola peccata ante Baptismum commissa vellet confiteri, ipse non possèt absolvi: quia non afferret materiam aptam hujus Sacramenti Poenitentiae.

Peccata ve-
nialia sunt
materia suf-
ficiens.

13. CONCL. III. Peccata venialia possunt vel omnia, vel aliqua eorum (idem dicendum de mortalibus jam ritè confessis, si peragitur Confessio generalis) in Confessione omitti: cum non sint materia necessaria, sed solum sufficiens: ac proinde utiliter quidem, sed non necessariò, Clavibus Ecclesiae subjiciuntur. Unde Concilium Trid. loc. cit. cap. 5. sic ait: *Peccata venialia, quibus à gratia DEI non excludimur, & in qua frequentius labimur, quauquam rectè & utiliter, citràque omnem presumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citrà culpam, multisque alijs modis expiari possunt.*

Non autem
solæ imper-
fectiones,

14. CONCL. IV. Solæ imperfectiones non sunt materia apta Sacramenti Poenitentiae. Ratio est: quia tales non sunt peccatum mortale, aut veniale. Unde rectè monent Doctores, quòd in Confessione semper sit afferenda materia certa: & si nova non occurrat, saltem ex jam semel confessis.

Circa has,
quid obser-
vandum in
Praxi?

15. Porro materia certa (ut notat Diana part. 3. traët. 4. re-
sol. 52. contra Toletum lib. 3. c. 2. n. 6.) non est, confiteri dun-
taxat, quòd quis non responderit Divinis inspirationibus, non
fecerit bonum, quod poterat, & hujusmodi. Quamvis idcirco
in

in his exponendis non debeat Confessarius impedire Pœnitentem : tum quia multa ex ijs, quæ nonnunquam videntur meræ imperfectiones, sunt peccata venialia; idque ob varias intervenientes circumstantias, utputà negligentias voluntarias, vel leves contra rectam rationem excessus. Tum quia ad majorem sui humiliationem, atque exercitationem ferventioris progressus spiritualis, talia rectè aperiuntur. Lugo disp. 16. de Pœnitentiâ, num. 103.

16. Quòd si verò materia certa omninò haberi non possit, sed duntaxat dubia, pro ratione dubij danda est absolutio sub conditione, saltem tacitâ, præsertim si gravitas peccati dubij, aut alia circumstantia id expostulare videatur : vel, si nulla apparet necessitas Sacramentum sub conditione ministrandi, absolute ne penitus superfedatur. Layman lib. 5. tract. 6. c. 3. num. 5.

17. CONCL. V. Peccata jam ritè confessâ, & remissa, sunt materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, possuntque denuò fructuosè confiteri, & subjici Clavibus Ecclesiæ. Ita communis ; & patet tum ex Extravag. Inter cunctas. §. Verùm de Privilegijs, ibi: Licet de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata: tamen quia propter erubescèntiam, qua magna est Pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre, &c. Accedit praxis piorum hominum, qui sæpiùs peragunt Confessiones tum generales, tum certorum peccatorum iam anre hâc confessorum.

18. Dices. Nemo potest solvi, qui non est ligatus: sed pœnitens post peccata ritè confessâ, eisdem non est ligatus; ergo eisdem non potest solvi virtute absolutionis Sacramentalis, sicque ea non videntur amplius posse subjici Clavibus Ecclesiæ. Resp. majorem illam, Nemo potest solvi, &c. procedere solùm in physicis (prout v. g. nemo potest solvi à catena, vel alio vinculo corporali, nisi actualiter ipso ligatus existat) non verò in moralibus, ubi sufficit tale vinculum præcessisse: sic enim potest quis injuriam sibi illatam sæpiùs alteri condonare, præsertim si is iteratò veniam roget. Idem ergo dicendum de absolutione Sacramentali à peccatis, sæpiùs cum iterato dolore confessis, & Clavibus Ecclesiæ subjectis. (b)

19. Quæres, utrum sit necesse, pœnitentem in Confessione exprimere, quòd peccata sua jam semel sint confessâ, nec ne? Resp. Per se loquendo id necesse non est; prout notant Lugo disp. 16. de pœnit. Sect. 2. §. 1. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 10. num. 17. Bonacina, & alij: quia peccatum est idem specie, ac numero,

Aut quando materia certa haberi nequit?

Peccata ritè confessâ, sunt materia sufficiens.

Solvitur in instantia.

(b) Adde dicenda n. 34. & 35.

An sit necesse addere, quòd peccata jam fuerint confessâ, nec necesse

five

sive confessum fuerit, sive non; neque etiam tempus, quod id commissum est, addit circumstantiam specie mutantem.

Id per accidens quandoque explicandum.

20. Dicitur, *per se loquendo*. Siquidem per accidens quandoque id necessarium est explicare; v. g. ob annexam reservationem, eò quòd à casu reservato cæteroquin posterior Confessarius absolvere non posset, nisi illud peccatum jam prius habenti debitam jurisdictionem confessum fuisset. Idem contingere potest ob proximam peccandi occasionem, quæ alioquin Confessario non innotesceret. Item, quando ratione circumstantiarum peccatum specie mutatur; ut si peccatum venereum sit, & tempore, quo committebatur, poenitens extiterat solutus, aut Laicus, nunc autem est conjugatus, Clericus, aut voto Castitatis obstrictus, vel econtrà: nam, nisi tunc notificetur status iste variatus, deciperetur in materia gravi Confessarius, intelligens poenitentem vel habere circumstantiam specie diversam, vel ipsam carere. In praxi proinde tutius erit, nova peccata ab antiquis separare: eò præsertim, quia alioquin poenitentiam competentem Confessarius imponere non sciret; cum major debeat peccato mortali necdum confessio, quàm semel jam ritè confessio, & quoad culpam dimissio.

QUÆSTIO III.

De Forma Sacramenti Poenitentiae.

Forma Sacramenti Poenitentiae, quæ?

21. **C**ONCL. I. Forma Sacramenti Poenitentiae sunt verba absolutionis à Sacerdote prolata, videlicet illa, *Ego te absolvo à peccatis tuis*, vel alia æquipollentia, actum iudiciale sententiæ absolventis sufficienter exprimentia. Desumitur hoc tum ex Rituali Romano Pauli V. cuius verba *num. 32.* referentur: tum ex Concilio Trid. *Sess. 14. cap. 3.* ubi ait, *Sacramenti Poenitentiae formam in illis Ministri verbis positam esse, Ego te absolvo, &c. Quibus quidem de Ecclesie Sanctæ more preces quedam laudabiliter adjuvantur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessaria.* Hæc Concilium.

Quæ verba sint de eius essentia?

22. **C**ONCL. II. Ex prædictis sola illa duo verba, *Absolvo te, vel æquipollentia*, sunt de essentia formæ absolutionis, ac necessarii exprimentia necessitate Sacramenti. Ita Doctor Subtilis in 4. dist. 14. q. 4. §. *Ex hoc sequitur*, ibi: *Communiter tamen ista verba sunt apta, Ego te absolvo.* Concordat Concilium Floren.

rentinum in Decreto Unionis, ibi: *Forma hujus Sacramenti est: Ego te absolvo &c.* Et Tridentinum *loc. cit.* Accedit ratio: quia hæc duo sola vocabula, *absolvo te*, constituunt perfectam sententiam absolutoriam Rei quoad peccata ab eodem in Confessione explicata; ergo hæc sola constituunt essentiam formæ absolutionis.

23. Dices I. Concilium tam Florentinum, quam Tridentinum, post dicta duo vocabula apponit *ly, &c.* ergo & sequentia spectant ad essentiam formæ. Resp. negando consequentiam: quia inde solum sequitur, sequentia verba, *à peccatis tuis*, esse apponenda de præcepto; adeo, quod eadem omittens peccaret, vel mortaliter, vel iuxta alios venialiter. Busenbaum *lib. 6. tract. 4. cap. 1. dub. 1.* Deinde per citatum *ly, &c.* denotatur, quamvis verba immediatè sequentia, *à peccatis tuis*, jam tacitè intelligantur in præcedentibus, adhuc tamen ea spectare ad magis explicitam atque expressam significationem formæ.

24. Dices II. verba illa, *absolvo te*, ex se non faciunt completum sensum absolutionis Sacramentalis; cum sint indifferentia ad significandam absolutionem à Censuris, pœnis, vel culpis: ergo se solis non sufficiunt pro essentia formæ Sacramenti pœnitentiæ. Resp. negando consequentiam: quia, licet verbum, *absolvo te*, ex se sit indifferens ad significandam absolutionem à pœnis, Censuris, vel peccatis; ipsum tamen præcedente hominis pœnitentis Confessione, super quam cadit, sufficienter, atque ex vi talis locutionis, determinatur ad significandam illius hominis absolutionem à peccatis, ita ut determinatè cadat super hæc peccata absolvenda: sicuti in simili, si quis roget veniam illatæ injuriæ, altero respondente, *remitto tibi*, censetur vi hujus locutionis ipsi remissa injuria, pro qua rogavit veniam.

25. Dices III. Ergo pariter poterit omitti *ly, Te*; cum similiter verbum, *absolvo*, concurrentibus hujusmodi circumstantiis sufficienter determinetur ad significandam absolutionem à Te? peccatis potius, quam à Censuris, vel alijs vinculis. Resp. negando sequelam. Siquidem omisâ particulâ *Te*, mutatur substantialiter significatio formæ: forma enim absolutionis fuit instituta à Christo Domino per voces demonstrativas, adeo ut non nisi super præsentem cadere possit, prout desumitur ex illis verbis Christi, Joan. 20. *Quorum remisistis peccata &c.* Junctâ perpetuâ traditione, ac sensu Ecclesiæ. Atqui omisâ particulâ *Te*, locutio illa non est demonstrativa; cum verbum *absolvo* proferri possit non solum circa peccata præsentis, sed etiam ab-

sentis. Sufficeret tamen pro essentia formæ absolutionis, si Sacerdos diceret, *Absolvo à peccatis tuis*: quia in *ly, Tuis* implicite continetur *ly, Te*. Lugo disp. 13. de Pœnit. n. 26.

Absolutio
in scriptis,
vel absenti
data, non
valet.

26. CONCL. III. Absolutio in scriptis data, vel etiam absenti collata, est nulla, & invalida. Ita communis. Siquidem ad formam absolutionis requiruntur verba propriè dicta, seu quæ ore tenens proferuntur in præsentem; prout tenuit perpetuus sensus Ecclesiæ, & indicant verba Concilij Trid. num. 21. relata, ubi ait, *Sacramenti Pœnitentia formam in illis Ministri verbis* (hoc enim scripturæ non convenit) *positam esse*. Id ipsum declarat *ly, Ego te absolvo &c.* quod est demonstrativum, & de absente non verificatur. Hinc meritò Clemens VIII. in Decreto, quod incipit, *Santissimus*, 1602. die 20. Julij edito (& habetur tom. 3. Bullarj Romani, *Constit. 87. dicti Pont.*) damnavit, & sub Pœna excommunicationis prohibuit oppositam quorundam sententiam, asserentium, *Licere per litteras, seu internuncium, Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*.

Solvitur in
Rantia.

27. Nec obstat, quòd Sacramentum Pœnitentiæ sit à Christo Domino institutum per modum Judicij; in Judicio autem possit quis absolvi absens, ac etiam per scripturam. Resp. enim: etsi hoc verum sit in Foro externo, ac Judicio publico, si ve seculari, si ve Ecclesiastico; negatur tamen, id procedere in Foro Pœnitentialem, seu Judicio Sacramentali. Nam istud habet totum suum valorem ex institutione Christi, qui voluit & ordinavit, ut in hoc Sacramento, seu Foro Pœnitentialem, proferatur forma absolutionis per verba propriè dicta, atque in præsentem; non autem scripto, vel in absentem. Et quidem Christum sic instituisse, patet ex perpetua traditione, praxi, ac sensu Ecclesiæ, ipsiusque Summi Pontificis, Christi in terris Vicarij, definitione. Ex quo ulterius sequitur, quamvis hoc Sacramentum fuerit institutum per modum Judicij, nihilominus illud non per omnia æquiparari Judicio Forensi; idque ob specialem Christi ordinationem circa aliqua factam.

Disparitas
inter abso-
lutionem à
peccatis, &
censuris.

(c) *Vi di-
ctum Tr.
13. Dist.
1. n. 41. &
43.*

28. Nec rursus obstat, quòd absolutio ab excommunicatione, aliisque Censuris Ecclesiasticis, possit dari absenti, atque in scriptis. (c) Resp. enim negando consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis desumitur ex Christi institutione, qua ad formam Sacramenti Pœnitentiæ, seu absolutionem Sacramentalem à peccatis, requiruntur verba propriè dicta, & in præsentem prolata. Id autem nequit dici de absolutione à Censuris

ris Ecclesiasticis, utpote Jure Ecclesiastico constitutis, non autem à Christo immediatè provenientibus, sicut forma Sacramenti Pœnitentiæ. Accedit communis praxis Ecclesiæ, & consensus Doctorum.

29. CONCL. IV. Forma absolutionis sub modo deprecationis prolatâ, non valet: unde si dicatur, *Absolve te DEUS*, nullum perficitur Sacramentum. Ita communis Doctorum. Ratio est: quia hoc Sacramentum est à Christo institutum per modum Judicialis; ergo & forma ejus debet proferri per modum sententiæ judicialis; non autem per modum deprecationis, vel impetrationis.

Forma absolutionis sub modo deprecationis, non valet.

30. CONCL. V. Valida est absolutio, si reverentiæ causâ Confessarius dicat, *Absolve Dominationem vestram*, vel *Majestatem vestram*. Ratio est: quia non mutatur substantialiter forma; etsi mutatio hujusmodi neutiquam sit adhibenda in praxi. Idem erit, si dicatur, *Solve te à peccatis tuis*, vel, *Remitto tibi peccata tua*, & hujusmodi: quia talia verba sunt æquivalentia formæ communiter usitatæ. Econtrâ verò hanc formulam, *Ego te mudo à peccatis tuis*, plerique arbitrantur non sufficere: quia non videtur significare absolutionem per modum sententiæ judicialis; qualis requiritur ad Sacramentum Pœnitentiæ, utpote quod per modum Judicialis est à Christo institutum.

Quid, si dicatur, *Absolve Dominationem vestram*.

31. CONCL. VI. Aliæ preces, quæ juxta morem Sanctæ Ecclesiæ laudabiliter apponuntur, non spectant ad essentiam formæ, neque ad hujus Sacramenti administrationem sunt necessaria. Ita expressè Concilium Trid. Sess. 14. cap. 3. cujus verba n. 21. relata sunt. Hinc Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, dicit, quòd in Confessionibus frequentioribus & brevioribus possit omitti, *Misereatur tui &c.* & satis sit dicere, *Dominus noster Jesus Christus &c.* usque ad illud, *Passio Domini &c.* Unde hoc in concursu Pœnitentium pract carilitè poterit.

Aliæ preces non sunt de essentia formæ.

32. Cæterùm pro praxi, & dignâ administratione Sacramenti Pœnitentiæ, observandum, quòd juxta citatum Rituale Romanum, Pœnitente ante Confessionem petente benedictionem, Confessarius dicat: *Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis, ut dignè & competenter confitearis peccata tua, in nomine Patris (formando signum Crucis versùs eum) & Filij & Spiritus sancti, Amen.* Deinde peractâ Confessione & injunctâ Pœnitenti priùs, ab eoque acceptatâ salutarì pœnitentiâ, primò dicit, *Misereatur tui &c.* Deinde dexterâ versùs Pœnitentem elevatâ, dicit: *Indulgentiam*

Ritus absolutionis sacramentalis.

tiam, &c. Dominus noster JESUS Christus te absolvat: & ego autoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis (hoc verbum, Suspensionis, in Laicis omittitur) & interdictionis, in quantum possum, & tu indiges. Deinde, ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, memoria B. Mariae Virginis, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, & praemium vitae aeternae. Amen. Urgente vero aliqua gravi necessitate, ut puta in periculo mortis instantis, breviter Confessarius dicere poterit: Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis, in nomine Patris &c. Ita Rituale Romanum.

Quid observandum circa Irregularitatem?

(d) Vide Tract. 13. Dist. 1. n. 41. & 42. ac Dist. 3. n. 74.

Sensus verborum formae absolutionis, quis?

Praesertim, si peccata jam prius remissa sunt.

33. Observandum ulterius, nomine Censurarum non venire Irregularitatem; atque ideò, si quid circa eam concedatur, ipsam ab habente facultatem dispensandi esse specialiter exprimendam, dicendo: *Dispensa tecum in irregularitate, quam incurristi propter &c.* & specificatur causa. Et hoc ultimum etiam observandum in absolutione à Censuris. (d)

34. Quæres, quis sit sensus verborum formae absolutionis, *Ego te absolvo a peccatis tuis?* Resp. Sensus horum verborum ille est, quem verba ipsa juxta proprium suum significatum important; ita ut per modum sententiæ judicialis significant absolutionem hominis à peccatis, loco DEI à Sacerdote factam. Ita Mastrius 4. disp. 5. num. 386. Lugo disp. 3. de Pœnit. num. 72. & alij, quamvis multi dictam formam in alio sensu explicant. Ratio est: quia forma Sacramentorum, quantum fieri potest, intelligenda est in sua propria significatione; uti patet in forma Sacramenti Baptismi, Confirmationis, & alijs: ergo idem dicendum de forma Sacramenti Pœnitentiæ, sive de absolutione Sacramentali, cum commodè sic intelligi possit.

35. Dices. Sæpiùs contingit, quòd peccata confessa jam sint prius remissa virtute contritionis perfectæ, vel alterius Confessionis prioris; ergo saltem tunc verba formae absolutionis non possunt intelligi in propria significatione, sicque erunt accipienda in alio sensu. Resp. negando consequentiam: quia nihil obstat, quò minus idem peccatum cuiuspiam sæpiùs remittatur, conformiter dictis num. 18. Quinimò hoc ipsum contingit etiam in Judicio humano, ubi Reus sæpiùs judicialiter absolvitur, si eadem causa sæpiùs in Judicium deducatur.

QUÆ.

QUÆSTIO IV.

De Contritione, seu Pœnitentia virtute, quæ est prima pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

36. **T**RES esse partes Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, patet ex dictis *num. 10. & 11.* ac unanimi Catholicorum. Unde *Partes Sacramenti Pœnitentiæ, tres.* visto de natura, simulque materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ, breviter (quantum fieri poterit) erit videndum de singulis partibus ejus, incipiendo à Contritione; additis tamen nonnullis, quæ Pœnitentiæ virtuti secundum se conveniunt. Hinc sit

37. **CONCL. I.** Contritio, quæ primum locum inter partes Sacramenti Pœnitentiæ obtinet, ac prout est genus ad Attritionem & Contritionem perfectam, benè describitur à Concilio Trident. *Sess. 14. cap. 4.* quòd sit *dolor animi, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Unde Contritio, seu Pœnitentia virtus, non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, sed veteris etiam odium, seu detestationem peccati commissi continet; prout idem Concilium *loc. cit.* uberius declarat.

38. **CONCL. II.** Contritio sic generatim sumpta, rectè dividitur in Contritionem perfectam, & in Attritionem, seu Contritionem imperfectam. Ita Concilium Trident. *loc. cit.* & omnes Catholici. Et hæc divisio Contritionis in perfectam, & imperfectam, oritur ex diversitate motivi illius formalis, ob quod quis dolet, ac detestatur peccatum commissum: nam si quis doleat ex motivo amoris DEI per peccatum offensus, erit Contritio perfecta; si verò ex motivo solum turpitudinis peccati, aut metu inferni, seu pœnarum (per has intelligendo pœnas distinctas ab infernalibus, utputà pœnas Purgatorij, vel pœnas temporalis vitæ præsentis, v. g. pestem, famem, bellum, ac hujusmodi, quibus DEUS castigare solet peccata Fidelium) erit Attritio. Si-

quidem

39. *Contritio perfecta, quæ est Contritio simpliciter dicta, est dolor animi, ac detestatio peccati propter DEUM summè dilectum, cum firmo proposito non peccandi de cætero. Ubi ly, propter DEUM summè dilectum, intelligendum est de DEO summè*

dilecto saltem appreciativè, quamvis non semper amor ille DEI sit summus intensivè.

Amor DEI
appreciativè,
& intensivè
summus, quis?

40. Porro Amor DEI appreciativè summus tunc habetur, quando DEUM ita amamus, ipsūque omnibus alijs rebus anteponimus, ut nullius creaturæ amore, vel timore, velimus ipsū offendere, aut ad ejus amore recedere. Et hoc modo omnes homines tenentur amare DEUM super omnia; juxta illud Matth. 10. *Qui amat patrem, aut matrem plus, quam me, non est me dignus,* & alibi. Et qui ex motivo hujus amoris DEI dolet de commissis suis peccatis, censetur habere Contritionem perfectam. Amor DEI intensivè summus ille dicitur, qui est intensior, & vehementior omni alio actu amoris: & hoc modo non tenemur in hac vita DEUM diligere super omnia; quinimò non rarò parentes plus intensè amant liberos suos, quam DEUM, quamvis adhuc appreciativè plus diligant DEUM, eò quòd hunc ob amorem filiorum nolint offendere. (e)

(e) Vide
Tract. 4.
Dist. 6. n.
6. & 7.

Contritio
imperfecta
sive Attritio,
quid?

Et quomodo
differat à
Contritione
perfecta?

quid?

Attritio me-
re naturalis
non sufficit.

41. *Contritio imperfecta*, quæ proprio nomine communiter dicitur *Attritio*, est dolor animi, ac detestatio peccati contra DEUM commissi, ob turpitudinem peccati, vel metum gehennæ, aut pœnarum conceptus, cum firmo proposito non peccandi de cætero. Unde patet, hanc à Contritione perfecta differre duntaxat penes motivum formale: nam perfecta Contritio concipitur ex motivo amoris DEI per peccatum offensi; Attritio autem vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnarum metu communiter concipitur, ut loquitur Concilium Tridentinum cit. Sess. 14. cap. 4.

42. Notandum tamen, ut Attritio cum Sacramento sufficiat ad justificationem peccatoris, requiri, quòd ea procedat ex aliquo motivo supernaturali, sive quòd sit donum DEI, & Spiritus sancti impulsus, juxta cit. Concilium. Unde dolor merè naturalis neutiquam sufficit; utputà si puer de peccato doleat, eò quòd virgas à patre meruerit; aut homo adultus, eò quòd publicam apud homines infamiam incurrerit: nam dolor talis nullà ratione foret supernaturalis, neque donum DEI, aut impulsus Spiritus sancti. Et meritò Innocentius XI. sequentem inter alias, ordine 57. Propositionem damnavit: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestam.* Secùs foret, si quis de peccatis doleat ob metum pœnarum temporalium ut à DEO immissarum: nam talis dolor non elicitur ex motivo merè humano, sed respicit DEUM ut justum vindicem peccati, & ultorem ejus per

per poenas etiam temporales; prout Fideles credunt ex lumine fidei supernaturalis.

43. CONCL. III. Poenitentia virtus, sive Contritio aliqua, est, & fuit universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato in-
quinaverunt, pro quocunque statu ad salutem, & iustitiam con-
sequendam necessaria. Conclusio sic prolata, est de fide; ha-
beturque in Concilio Trident. Sess. 14. cap. 4. ubi inter alia hoc pro-
batur ex illis verbis Christi, Lucæ 13. *Nisi poenitentiam egeritis, om-
nes simul peribitis.*

Poenitentia
virtus, seu
Contritio
aliqua, est
necessaria
ad salutem
&c.

44. CONCL. IV. Quamvis regulariter loquendo, post pec-
catum mortale commissum, homini sit necessaria ad salutem Poe-
nitentia formalis; adhuc tamen in aliquo casu potest ipsa sup-
pleri per Poenitentiam virtutalem, qualis est Dilectio DEI super
omnia. Ita Doctores communiter. Hinc Lucæ 7. dicitur: *Di-
mittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & alibi.*

An sufficiat
Poenitentia
virtutalis?

45. CONCL. V. Actus Contritionis perfectæ est, fuitque
in omni Lege semper congrua dispositio, per Christi merita con-
sequendi gratiam Divinam, nostramque justificationem: ea ca-
men in Lege gratiæ, post receptum Baptismum, includit votum
Sacramenti Poenitentiae suo tempore recipiendi. Ita communis
omnium Catholicorum; & habetur clarè in Concilio Trident.
Sess. 14. cap. 4. ubi dicitur: *Docet præterea, etsi contritionem hanc ali-
quando charitate perfectam esse contingat, hominemque DEO reconciliare,
priusquam hoc Sacramentum (Poenitentiae) actu suscipiatur: ipsam ni-
hilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa
includitur, non esse adscribendam.*

Actus Con-
tritionis
perfectæ
sufficit ad
justificatio-
nem.

46. Additur notanter, in Lege gratiæ, post receptum Baptismum.
Nam Contritio perfecta ante receptionem Baptismi elicit, in-
cludit votum recipiendi Sacramentum Baptismi (unde & *Baptis-
mus fluminis* dicitur) non autem votum Sacramenti Poenitentiae;
cum peccata ante Baptismum commissa, non sint materia apta i-
psum. Secus de Contritione post Baptismum elicit, nam hæc in-
cludit votum Sacramenti Poenitentiae imposterum recipiendi.

Sed ea defa-
cto includit
votum Sa-
cramenti
& cuius?

47. CONCL. VI. Quamvis ad salutem, & justificationem
peccatoris extra Sacramentum, omninò requiratur Contritio
perfecta cum voto Sacramenti saltem implicito; at tamen cum
Sacramento Poenitentiae sufficit Attritio, etiam cognita. Ita de-
factò Doctores communiter. Unde Concilium Trid. cit. cap. 4.
ait: *Quamvis contritio imperfecta, quæ Attritio dicitur, si voluntatem
peccandi excludat, sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem*

Extra Sacra-
mentum re-
quiratur
Contritio,
cum Sacra-
mento suffi-
cit Attritio.

per.

perducere peccatorum nequeat; tamen cum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetranda n. disponit. Hæc Concilium.

Etiã co-
gnita.

48. Fatendum quidem est, ultimam partem, quod etiam Attritio cognita (id est, ea, quæ certo scitur, ac cognoscitur esse solum Attritio) sufficiat cum Sacramento ad salutem, à pluribus olim fuisse negatam: verum defactò ob tam clara verba Concilij Occumenici communiter tenetur Conclusio. Et ratio ulterior est: quia Sacramentum Pœnitentiæ est Sacramentum mortuorum, id est, per se ac primariò à Christo Domino institutum ad remissionem peccati mortalis, & collationem primæ gratiæ sanctificantiæ: atqui tale non esset, si virtute ejus nunquam conferretur prima gratia, sed hæc, mediante præviâ Contritione perfectâ, semper collata supponeretur; ergo.

Propositum
non peccan-
di de cæte-
ro, an suffi-
ciar virtua-
le?

49. CONCL. VII. Propositum non peccandi de cætero, quod requiritur unâ cum dolore de peccatis ad Contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ, regulariter quidem debet esse formale ac explicitum, ita ut quis expressè sibi proponat, non amplius peccare de cætero: per accidens tamen potest etiam sufficere propositum virtuale, ac implicitum, quale includitur in ipso actu contritionis, ac detestationis peccati. Ita communis. Nam dum quis verè, & ex corde dolet de peccato commisso, illudque detestatur, simulque non habet actualem voluntatem peccandi pro futuro; hoc ipso censetur saltem virtualiter, ac implicite, habere propositum non peccandi de cætero. Et ita fit in casu, quo quis dolet, ac detestatur peccatum super omnia, nihil advertens ad futuram vitam; censetur enim habere propositum sese emendandi, saltem virtuale ac implicitum.

Contritio, &
propositum
hoc debet
esse univer-
sale de mor-
talibus.

50. CONCL. VIII. Contritio, ac propositum non peccandi de cætero, debet esse universale de omnibus peccatis mortalibus. Est certum. Unde peccat graviter, qui recepturus Sacramentum Pœnitentiæ sciens, & prudens, non atteritur de omnibus mortalibus necdum confessis, vel proponit duntaxat unum peccatum mortale evitare, non verò alterum.

Quid de
Peccatis ve-
nialibus?

51. Dicitur notanter, de omnibus peccatis mortalibus: nam secus est dicendum de peccatis venialibus. Licet enim ad Confessionem peccatorum etiam venialium requiratur aliquis dolor, ac propositum eadem evitandi: quia tamen peccatum veniale hominem à gratia DEI non excludit, potestque unum remitti sine altero (quod non est in mortalibus) hinc sufficit attritio, & propositum de uno veniali confessò, et si de alijs non habeatur.

Suf.

Sufficit etiam dolor, & propositum de evitandis venialibus confessis, præcisè quoad frequentiam: quia talis habet jam voluntatem diminuendi peccata venialia, sicquæ se emendandi.

52. CONCL. IX. Quamvis propositum non peccandi de cætero debeat esse firmum, nihilominus ad illud non requiritur credulitas, seu existimatio; quod quis deinceps non amplius sit relapsurus. Ita Petrus Marchantius tom. 1. Tribunalis, tract. 4. tit. 3. q. 3. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 4. n. 8. & alij. Ratio est: quia dolere de peccatis, & proponere emendationem vitæ, est actus præsens voluntatis peccatum commissum detestantis, & nolentis in illud relabi: existimatio verò, seu credulitas illa, non est actus voluntatis, sed intellectus, qui ex dolore & proposito illo non necessariò consequitur; idque ob cognitam humanæ conditionis fragilitatem, nostræque voluntatis mutabilitatem, & plurimas hinc inde peccandi occasiones. Hinc donum perseverantiæ in bono, est equidem vel maximè exoptandum, summisque à DEO precibus postulandum, & auxiliante gratiâ Divinâ, in virtute Passionis, ac meritorum JESU Christi, humiliter sperandum: neutiquam tamen stultè præsumendum, aut absque speciali revelatione firmiter credendum; cum David, Petrum, aliosque, post optima proposita lapsos fuisse constet.

53. Inferitur proinde cum citatis Authoribus, & alijs, sæpè fieri posse, ut licet quis absolutum, & sufficientem propositum habeat, non peccandi de cætero; nihilominus timeat, vel etiam existimet, se non evitaturum omnia mortalia, vel certum peccati genus; idque ob rationes dictas, & expertam hæctenus suæ voluntatis mutabilitatem.

54. Pro praxi tamen, & si diabolus cœnetur talibus persuasivè suggerere, *Tu cades sine dubio, Tu non poteris ab hisce peccatis abstinere, Occurrente tali occasione non resistes* &c. consultum erit, hujusmodi afflictis personis consulendum, ne cum vaserrimo isto Sophista multùm disputent, sed potiùs mentem ad DEUM convertant, & cum humilitate cordis dicant: *Domine, verum est, quòd quantum est ex me, meaque fragilitate, rursus in peccatum caderem, si tua gratia me non protegeret: sed rogo, adesto mihi, & adjuva fragilitatem meam; quia per gratiam tuam spero, & firmiter propono, non amplius peccare.* Hoc, vel consimili modo, ejusmodi diabolicæ suggestiones eludendæ sunt; alioquin pœnitens, multùm cum dæmone disputans, sexcentis ejus fallacijs succumbat; & vel in conditionatam volitionem pertrahatur rursus peccandi, si talis occasio

Ad propositum illud non requiritur credulitas de non relapsu

Corollariū.

Doctrina notabilis circa tentationem de futuro relapsu.

se offerret; vel certè in pusillanimitatem, aut diffidentiam erga DEUM, nec non & desperationem præcipitur: ex quo fieri solet, quòd vel Pœnitentiæ sacramentum sacrilegè recipiatur, vel desperans ab ipso, aliisque spiritualibus medijs, penitus retrahatur.

Non sufficit dolere, quòd non satis doleas.

55. CONCL. X. Ad Sacramentum Pœnitentiæ non sufficit dolere, quòd non satis doleas. Ita Layman *cit. cap. 4. n. 5.* Henricus *disp. 2. de Pœnit. num. 57. cap. 3. num. 5.* & communis aliorum, contra Sylvestrum, Navarrum, & Sà, talem dolorem sufficere asserentes. Ratio est; quia talis reverà non est dolor de peccatis commissis.

Tamen in tali actu plerumque intervenit verus dolor.

56. Interim tamen fatendum cum Doctoribus passim, in tali actu, quo quis dolet, se non satis dolere de peccatis, plerumque conjunctum esse dolorem de peccatis, etsi pœnitens eum non cognoscat. Neque enim ad Confessionem requiritur dolor sensibilis: sufficit quippe voluntas, ejusque aversio, & dolor de peccato commissio; quæ cum sit potentia spiritualis, ac interna, scrupulosi tam facile angari non debent, quasi sine dolore accedant ad Sacramentum, eò quòd exterius nullum sentiant.

Dolor de mortalibus debet esse summus appetitativè; quomodo?

57. CONCL. XI. Etsi dolor de peccatis mortalibus commissis debeat esse summus appetitativè, ita ut pœnitens nihil magis deestetur, quàm peccatum, malitque omnia mala Mundi perpeti, quàm mortaliter contra DEUM peccare: non tamen opus est, imò nec passim expedit, particulares facere collationes, v. g. Mallem hoc vel illud malum subire, quàm mortaliter peccare. Ita Doctores communiter. Quinimò ejusmodi particulares collationes, seu reflexiones, spectatà fragilitate humanà sunt infirmioribus periculosæ: quamvis, si rectè fiant, sint actus valdè excellentes, ac meritorij.

Dolor hic præcedere debet absolutionem.

58. CONCL. XII. Dolor requisitus ad Sacramentum Pœnitentiæ, præcedere debet Absolutionem: estque tutius, ut ipsam quoque Confessionem antecedit; quamvis sufficiat, si Absolutionem præcedat. Ita communis. Ratio primæ partis est: quia in Absolutione essentialiter consistit Sacramentum Pœnitentiæ: atqui ad hoc necessariò necessitate Sacramenti prærequiritur dolor; & consequenter iste debet etiam præcedere Absolutionem.

Non autem necessariò Confessionem.

59. Altera pars probatur ex communi sensu Fidelium, & receptà praxi Confessariorum, qui post auditam Confessionem solent exhortari Pœnitentes ad eliciendum dolorem, quem &

cujus confitens antea fuit oblitus ; ergo, cum adhuc maneat, nihil obitat, quin possit deservire ad duo Sacramenta, cum censetur virtualiter multiplex.

Corollarium de moribundo,

63. Inferunt proinde Doctores, posse moribundum propter instans periculum mortis à Confessario absolvi audito uno, alterove peccato ; & deinde, si super sit tempus, auditis per ceteris iterato absolvi in virtute doloris præcedentis. Quod si quis velit eadem peccata repetere, ac denuo confiteri, tunc plures Doctores volunt, dolorem esse renovandum : quamvis nonnulli contradicant.

DISTINCTIO VII.

De Confessione, quæ est altera Pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

Q U Æ S T I O I.

Quæ Conditiones requirantur ad Confessionem Sacramentalem ?

Confessio variè sumitur,

I. Confessionis nomen variè solet accipi. I. Pro Confessione cujuscunque veritatis : & sic confiteri sumitur Joan. I. *Et confessus est, & non negavit.* II. Pro Confessione Fidei : sic sumitur Marci 8. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, &c.* III. Pro Confessione laudis, quam DEO deferimus ob ejus beneficia, opera, & attributa : & sic frequentissimè sumitur in Psalmis, & alibi passim in S. Scriptura. IV. Pro Confessione judiciali in Foro externo : in quo sensu dici solet : *Propria confessio est optima probatio.* V. Pro Confessione Sacramentali, prout hæc est altera pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ ; & in hoc sensu agitur hic de Confessione.

Et quomodo in proposito ?

Confessio Sacramentalis, quid, & quomodo necessaria ?

2. Definitur autem Confessio Sacramentalis taliter : *Confessio est accusatio legitima de proprijs peccatis, facta coram Sacerdote, ad eorum veniam impetrandam virtute Clavium.* Ubi ly, *accusatio*, stat loco generis, reliqua ponuntur loco differentiæ ; prout ex professo dictum fuit *Tract. 10. Dist. 3. num. 1. & seqq.* ubi explicando quartum Præceptum Ecclesiæ, simul de institutio-

ne,